4043.

4043.
HR

Nicolaus Bartolinus Col-
leginus,
Ode in natalem Iesu Christi.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4043 4° (LN 399)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4043 4° (LN 399)


Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4043 4° (LN 399)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4043 4° (LN 399)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4043 4° (LN 399)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4043 4° (LN 399)

= L. N. 399

M

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4043 4° (LN 399)

4043.

ODE

IN NATALEM IE-SV CHRISTI.

AD

NOBILISSIMVM HIN-RICVM BELOVV DOMINVM DE SPOTTERVP ET RESSELIN, AR-cis Collingenſis Præſidem.

ET

PRVDENTISS. D. SE-VERINVM PALVDANVM VR-BIS EIVSDEM PROCONSVLEM. MECOE-nates & Dominos ſuos. Scripta & ſtrenæ loco miſſa.

A

NICOLAO BARTOLINO Collignio.

ROSTOCHII

EXCVDEBAT AVGVSTINVS FERBERVS.

Anno M. D. LXXXI.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4043 4° (LN 399)

DOMINIS MECOE-
NATIBVS S.

HAnc vobis volui dicare ſtrenam,
Non acris modo lima quam poliuit,
Tum quod vos ſcio non probare nunquam
Noſtras quamlibet aridas Camœnas.
Tum vero vt ſtudium meamq; opellam,
Vobis vt Dominis meis amicis
Offerrem merito mihi colendis.
Si vobis modo ſenſero placere
Quod pro munere mitto, præmium me
Accepiſſe feram laboris amplum,
Inuiſentq; alias meæ Camœnæ.

Vobis ſubiectiſſ.

N. B. C.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4043 4° (LN 399)

4043.

ODE DICOLOS
TETRASTROPHOS.

HEM quid celſa poli machina fulgidi
Fulget iã ſolito lumine clarius?
Vnde hic ſideribus fulgor amabilis
Pulſis æthere nubibus?
An non nocte ſub hac quod ſoboles patris
Æterni miſeram corporis induens
Maſſam conſimilem carnibus his meis
Pura virgine natus eſt?
Hæc eſt cauſſa: ideo gaudia concipit
Vertex ætherius, terrigenis velut
Applaudens, quod eis vera relata ſit
Per natum puerum ſalus.
Non ergo harmonicis noſtra Polymnia
Lesboum refugit tendere barbiton
Diſtinctum fidibus: ſed tenero ſacrum
Hymnum pſallet Ieſulo.
Huius dum celebro carmine gloriam
Vos aures ſocias iungite cæteri
Et cantu ſocio guttura ſoluite
In laudem pueri noui.
Nobis natus enim paruulus eſt puer
Nobis filius eſt filiolis datus,
Qui ius imperij tam gerat ardui
Diuinos humeros ſuper.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4043 4° (LN 399)

Si nomen cupias, ille vocabitur
Admirabilis & conſiliarius,
Heros magnanimus, pacis & aureæ
Princeps, & Deus omnium.

Fines imperij proroget hic ſui
Princeps, atq; ſuper ſolia regia
Dauidis populos iuſtitia reget
Vera, & iudicio ſuo.

Salue ſancte puer, ſalue iterum Dei
Æterni ſoboles: tu ſimilis tuo
Maieſtate patri, par quoq; gloria
Diuinaq; potentia.

Tu miranda tuo cum patre conditor
Feciſti triſidæ mænia machinæ,
Et quæcunq; poli continet orbita
Suſtentas, alis & foues.

Quæ te cauſa, rogo, linquere compulit
Cœleſtis ſolium ſceptraq; regiæ?
Quid cauſæ fuit vt tu fieres homo
Ærumnas ſubiens graues?

Certe non aliam mens mea repperit
Quam στοργὴν, hominum qua miſerum genus
Sic complexus es, vt non dubitaueris
Vitam ponere amabilem.

O ingens bonitas, miraq; caritas,
Quam non ſi mihi tot corpore ſurgerent

Lin-

Linguæ, quot caput hoc crinibus aſperum eſt
Dignis laudibus efferam.
Regum rex etenim ſummus & optimus,
Qui cœlumq; ſolumq; & freta turbida
Subiecta imperio temperat arbiter,
E cœlo venit aureo.
Vt nos hoc rigido ſeruitij iugo
Exemtos patriæ redderet incolas
Cœleſtis, capientes pereuntia
Nullis gaudia ſeculis.
Humani fragiles corporis induit
Artus, vt fragiles nos populos ſuæ
Veſtitos habitu iuſtitiæ, ſua
In conſortia ſumeret.
Paupertatis onus difficile indigæ
Perpeſſus, latebris in ſtabulis nigris
Fœni vulnifici faſciculo ſuper
In ſomnos reſolutus eſt
Dignus purpureis veſtibus & toro
Regali: vt Satanæ quos dolus inuidi
Theſauris ſpolians pene peremerat
Æternis cumulet bonis.
Illius teneros dente nocentior
Artus aſperitas frigoris horridi
Roſit? lætitiæ nos calor vt nouæ
Cœli iungeret incolis.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4043 4° (LN 399)

Iniucundus odor plurimus illius
Nares introijt, dum prope ſqualidum
Eſt enixa fimum virgo puerpera
Ipſum ventris onus ſacrum.
Tutos à Stygio ſcilicet vt lacu
Quo lethale venit virus & halitus
Horrendi, ad ſuperi nos mirothecia
Ducat pharmacopolij.
Ergo ſegnitiem tollite cordibus
Saxoſis homines, ſurgite ſurgite,
Confertim ad puerum currite currite,
Cunas tangite ſupplices.
Ipſum nexilibus prendite brachijs
Ridentem, labijs baſia figite
Huic blandis, lachrimas thuris adurite,
Hymnos dicite vocibus.
Quod ſi pauperies vos premat aſpera
Lætis eſte animis, ille puer dabit
Veras diuitias, quas neq; flamma nec
Prædonis manus auferet.
Si fulgur ſubitum cernere creditis,
Abſit: Iuſtitiæ ſol oritur nouus
Cunctorum radios mentibus inferens
Illuſtres hominum pijs.
Turbauit gelidæ vos tremor hactenus
Mortis luctificus? flatibus is pauor

Eſt

Eſt dandus boreæ vanus, adeſt enim
Vitæ perpetuæ dator.
Inferni trepidos vos faciunt minæ
Cedant triſtitiæ nubila tetricæ
En vobis reſerata eſt hodie patens
Aulæ ianua cœlicæ.
Ergo iam tenero gaudia ſub ſinu
Mortales cumulate, inſolitis modis
Veſtrorum ſaliant viſcera pectorum
Digno lætitia die.
Eſt digniſſimus hic lætitia dies
Quo nobis datus & virgine natus eſt
Saluator, veteris qui valido pede
Contriuit colubri caput,
Et victor celebri tartara gloria
Euertit penitus, fudit & hoſtium
Infeſtas acies, & facili manu
Nobis munera diuidit.
Huic tantæ memores munificentiæ
Par eſt vnanimes reddere gratias,
Et nobis veniet, quod ſequitur bonum
Anni principium noui.
Salue Ieſſeia virgine flos ſate
Salue ſtella Iacob, & Iehudæ Siloh
Salue ſceptra gerens Iſraelitica
Salue noſter Ieſule.

F I N I S.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4043 4° (LN 399)

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4043 4° (LN 399)

4043.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4043 4° (LN 399)